

deferre, nisi gravissima causa excusetur. Imo, juxta *S. Lig. n. 68*, contra *Vogler*, nunquam a peccato gravi eximi potest. *V. Comp. n. 251*.

3^o Confessarii sententia, qua jubetur QUIRINUS famulatum suum derelinquere ob præfatas rationes, rigidior omnino est, si reapse famulus minime, aut nonnisi cum magno incommodo, alium locum invenire queat.

4^o Illicitum est prorsus QUIRINO applicare scalam domui, et dominum ascendentem adjuvare, neque ratione famulatus, neque ratione incommodi etiam valde gravis, si casus mortis subeundæ excipiatur, quia cooperatio hæc est omnino proxima. Imo, juxta multos, hujusmodi cooperatio ne ad mortem quidem vitandam permittenda foret. Opposita tamen sententia quam tuetur *S. Lig.*, non solum probabilis, sed etiam probabilior est.

243. — *R. ad 3^m Quæ.* Præscribendum famulo est ut alium locum quærat, et quamprimum discedat, quando absque nimio incommodo poterit, ne ad similiter cooperandum iterum adigatur; et interea caveat, ne pessimo domini exemplo seductionis periculum subeat. *V. Comp. n. 250 et seq.*

CASUS

DE PRIMO PRÆCEPTO DECALOGI

SEU

De cultu Dei et Sanctorum. De vitiis Religioni oppositis, seu de superstitione et variis ejus speciebus, nempe de vana observantia, — de divinatione, — de magia, — de maleficio, — de tabulis rotantibus (tables tournantes), — de magnetismo, — de spirituum consultatione (du spiritisme), — de tentatione Dei, — de sacrilegio, de simonia.

CASUS I.

DE ORATIONE.

RUFINA, prioris fervoris oblita, frequenter inter orandum voluntarias admittit distractiones. Interdum preces matutinas et vespertinas omittit, nec alias, decurrente die, orationi indulget. Imo ad hunc ignaviæ gradum devenit, ut per hebdomadam, vel etiam mensem et amplius, orationes quaslibet omnino intermiserit. Tandem, audita concione de orationis necessitate, dolens et ingemiscens ad Parochum confitendi gratia accedit. A Confessario graviter carpitur velut peccati mortalis rea, propter omissam orationem per hunc temporis tractum. « Scias oportet insuper, ait Parochus, te toties, saltem venialiter peccasse, quoties preces diurnas omisisti, vel minimam distractionem passa es. » Obstupefacta RUFINA, cum lacrymis emendationem promittit.

HINC :

QUÆR. 1^o Quænam sit orandi necessitas?

2^o An preces matutinæ et vespertinæ sint de præcepto?

3^o Quandonam sit peccatum sive leve, sive grave orationis neglectus?

4^o An quælibet distractio voluntaria sit peccatum, etiamsi preces non sint præceptæ?

SOLUTIO :

244. — *R. ad 1^m Quæ.* Oratio necessaria est, tum necessitate præcepti, tum probabilius etiam necessitate mediæ ad salutem. *V. Comp. n. 259.*

R. ad 2^m Quæ. Nego per se, si raro omittantur, vel si alio tempore et aliis formulis preces fundantur. Obligatio enim orandi tali hora et tali

modo, nulla lege probari potest. Sed enixe adhortandi sunt fideles, ut nunquam, nisi urgente vera necessitate has preces omittant; quia oratio quotidiana necessaria est ad auxilia spiritualia obtinenda, sine quibus nemo officia boni christiani adimplere potest, ut ait Christus: *Sine me nihil potestis facere*. Joan. 15. Porro, si facile fideles consuetas illas preces omittant, neque alio tempore, neque alio modo supplebunt.

245. — *R. ad 3^m Quæst.* Præceptum orandi certe obligat aliquibus temporibus; nec culpa vacat qui per notabile tempus ab omni oratione abstinet. Quodnam autem tempus sit notabile, aut etiam quando negligentia pertingere ad gravem culpam possit, Theologi non conveniunt. Communius tradunt aliqua culpa non vacare qui fere per mensem orationem omittit. Cæterum instare debet magis Confessarius in declaranda obligatione orandi frequenter, quam in determinanda omissæ orationis gravitate.

246. — *R. ad 4^m Quæst. Affirmative*, quia omnis voluntaria distractio inter orandum Deo injuriosa est. Attamen requiritur ad hoc, ut deficiat omnis causa excusans. *Vide Comp. n. 261.*

CASUS II.

DE CULTU SANCTORUM.

1^o MARTIALIS, e secta lutherana ad Fidem catholicam conversus, cum a Confessario fuisset interrogatus, utrum frequenter beatam Virginem aliosve Sanctos invocaret, respondit se solere ad Deum immediate recurrere, nec opus sibi esse Sanctorum patrocinio, siquidem Deus solus est principium et fons omnium donorum. Hinc Confessarius ipsi pro salutari poenitentia injunxit ut preces quotidianas ad Sanctos directas funderet, quod ægre et mussitando inaudiit MARTIALIS.

2^o BERTA magnam experitur devotionem erga Missionarium nuper cum fama sanctitatis defunctum. Quapropter ejus effigiem domi supra altarium collocatam venerari assolet, et flexis genibus illius patrocinium implorat, sive sola, sive cum aliis e vicinia adventantibus. Imo stipendium offert alicui Sacerdoti, ut Missam in ejus honorem celebret.

HINC :

QUÆR. 1^o *An vel quænam sit obligatio Sanctos orandi, et quid de casu?*

2^o *An recte in his omnibus egerit BERTA?*

3^o *Quid de Sacerdote qui, accepto stipendio, Missam celebravit?*

4^o *Quid si effigies defuncti non canonizati aut beatificati in Ecclesia, Sacrario, vel Oratorio appenderetur, vel alibi, cum radiis seu aureolis?*

SOLUTIO :

247. — *R. ad 1^m Quæst.* 1^o *Per se invocatio Sanctorum non est de præcepto, sed de mero consilio; nulla enim lege absolute præscribitur, et*

Concilium Tridentinum, loquendo de Sanctorum invocatione, dicit tantum: esse bonum et utile eos invocare. Attamen, aiunt, communiter a peccato veniali non est excusandus ille qui nunquam beatam Virginem invocaret, cum speciali providentia mediatrix nostra fuerit a Deo constituta. *V. Comp. n. 262.*

2^o MARTIALIS tamen a peccato gravi non est eximendus, quia non solum videtur invocationem Sanctorum omittere, sed etiam eam ut inutilem habere, quod hæreticum est. Ideo laudabiliter egit Confessarius injungendo MARTIALI pro poenitentia, ut certas preces ad Sanctos directas funderet; et poenitens hanc poenitentiam acceptare et implere debuit, et quidem sub gravi, si gravis fuerit et pro peccatis gravibus imposita. Attamen Confessarius debuit magis determinare preces recitandas, quam tempus quo essent recitandæ. *Elbel, n. 438.*

248. — *R. ad 2^m Quæst.* Laudanda sane BERTA in omnibus quæ cultu privato peragit, licet non sola, sed etiam cum familia aut aliis mulieribus domum suam adventantibus. Nihil enim ab Ecclesia prohibetur, nisi cultus publicus, ne scilicet Sanctum privatum in cæremoniis et officiis Ecclesiæ honorent, ejus nomen litanis inserant, vel ejus imaginem cum radiis aut aureolis exornent.

249. — *R. ad 3^m Quæst.* Sacerdos potuit quidem stipendium acceptare et Missam celebrare in honorem viri cum fama sanctitatis defuncti, vel in gratiarum actionem pro obtento beneficio, etc.; dummodo Missam sumat de festo aut de feria eo die occurrente, non autem de Communi non Pontificum, nec specialem orationem de eo vel cum ejus nomine recitet. Ratio est, quia Sacrum facere ad prædictam intentionem non est cultu publico aliquem honorare, siquidem intentio celebrantis est quid omnino privatum. *Elbel, n. 443.*

250. — *R. ad 4^m Quæst.* 1^o Minime illicitum est apponere effigiem vel statuam alicujus defuncti non canonizati, sive in Oratorio etiam publico, sive in Ecclesia dummodo id ad eum cultu publico honorandum non fiat, sed ex alio motivo patenti, v. g. si fundator aut benefactor sit Ecclesiæ, vel ejus statua ad ipsius tumulum in Ecclesia apponatur. Sic etiam imagines imperatorum, regum, et aliorum insignium virorum appendi possent. Sic Basilica sancto Petro Romæ dicata, innumeris monumentis Pontificum in album Sanctorum non relatorum decorata est.

2^o Non autem licet prædictas imagines aureolis seu radiis exornare, neque in altari ubi Missa celebratur reponere.

CASUS III.

DE CULTU RELIQUIARUM.

ARISTUS, speciali devotione erga sacras Reliquias actus, innumeras specie diversas et minus certas colligit, collo suspensas gestat, cum incertis immiscet, alias dono distribuit, alias pro muneribus sive sacris, sive profanis reponit, in oratorio privato domi venerationi familiæ exponit, necnon

exponendas in Ecclesia vel Sacello, aliis tradit. Imo, quo plures possideat, interdum, data occasione, plures earum particulas apud alios subripit, nec putat in hoc peccare, quia Reliquiæ Sanctorum, utpote res sacræ, non sunt pretio æstimabiles.

HINC :

QUÆR. 1^o *Qualis cultus possit exhiberi Reliquiis Sanctorum, et quibusnam Reliquiis sit exhibendus cultus sive publicus sive privatus?*

2^o *Qualis certitudo de earum authenticitate requiratur pro cultu sive publico sive privato, et qualis Prælatorum approbatio?*

3^o *Quid de agendi ratione ARISTI in singulis casibus?*

SOLUTIO :

251. — *R. ad 1^m Quærs.* Idem prorsus dicendum est generatim de cultu Reliquiarum, ac de cultu Sanctorum canonizatorum, vel saltem beatificatorum. Cultus autem privatus ad privatam devotionem omnino liberam spectat.

R. ad 2^m Quærs. 1^o Ad cultum publicum certo constare debet, Reliquias venerandas ad Sanctum vel Beatum, solemniter ab Ecclesia ut talem recognitum, pertinere. Insuper sigillum alicujus Episcopi seu Prælati apponi debet. Sigillum autem Episcopi loci ad Reliquias cultu publico colendas sufficit, nec scriptum authenticum necessarium est.

2^o Ut Reliquiæ, licet authenticæ, publicæ venerationi fidelium in Ecclesia vel in Oratorio publico exponantur, requiritur ut ab Episcopo loci recognoscantur, etiamsi Romæ a Præposito apostolico obsignatæ fuerint. *Conc. Trid. sess. 25. — Bonac., t. 2, disp. 3, q. 1, punct. 4.*

3^o Ad cultum privatum requiritur tantum certitudo moralis privata, qualis v. g. ab homine fide digno habetur.

252. — *R. ad 3^m Quærs.* ARISTUS laudandus quidem est pro insigni devotione erga Sanctorum Reliquias. In pluribus tamen reprehendendus est. 1^o Peccat graviter Reliquias incertas cum certis immiscendo, si auctoritate ecclesiastica approbari debeant. Nisi enim aliæ ab aliis separentur, fieri potest ut Reliquiæ falsæ vel authenticæ proponantur. 2^o Non peccat Reliquias aliis donando, etiam in remunerationem pro muneribus profanis exhibendam; quia non intervenit turpis contractus, ita ut res sacra cum re profana comparetur et sic vilipendatur, seu labes simoniæ in hoc minime deprehenditur. 3^o Non peccat cultum privatum Reliquiis cum familia tribuendo, modo ipsi constet, certitudine morali etiam lata, veras esse Reliquias, saltem alicujus tali cultu non indignas. 4^o Graviter peccat furando Reliquias notabiles vel etiam minimam partem Reliquiæ valde pretiosæ, v. g. SS. Crucis; quia, licet non sint pretio æstimabiles, tamen hæc ablatio graviter possessorem contristare potest. In districtu autem Romano sub pœna excommunicationis prohibetur furari Reliquias, etiam minimas, pertinentes ad Ecclesias. Ex Const. *Clement. VIII et Pauli V.* Quare in omni casu mortale est. *S. Lig. l. 3, n. 532.*

CASUS IV.

DE SUPERSTITIONE.

De vana observantia 1^o.

1^o LIVONIA, devotula, orationes S. *Brigittæ* dictas frequenter spargit, et miram vim earum ore pleno extollit. « Si quis enim, ait, has orationes « per annum integrum recitet, aut secum deferat, a quocumque infelici « eventu immunis evadet. A peste, scilicet, incendio, tonitru, canis ra- « bidi morsu, et a morte subitanea certo liberabitur. Imo, in mortis arti- « culo sibi apparentem et subridentem Beatam Virginem conspiciet. »

2^o CRISPINUS, inopia pressus, orationem S. *Christophori*, ad pecuniam inveniendam, detegendumve thesaurum, persolvit. Idem, PETRO vicino remedium pro equo postulanti : « Sume, ait, tales herbas, et animali « ægroto præbeas, signum crucis in SS. Trinitatis honorem ter expri- « mendo. Quod si feceris, equus tuus infallibiliter sanitati restituetur. »

HINC :

QUÆR. 1^o *In quo consistat peccatum superstitionis?*

2^o *Quid de LIVONIA dicendum? An superstitionis rea?*

3^o *Quid autem de CRISPINO statuendum?*

SOLUTIO :

253. — *R. ad 1^m Quærs.* Superstitio est vitium quo divinus cultus exhibetur ei cui non debetur, vel eo modo quo exhiberi non debet, seu est falsus cultus, vel circa substantiam, vel circa formam. Fit præcipue : 1^o *idololatria*, qua cultus soli Deo debitus, creaturæ tribuitur; 2^o *vana observantia*, qua res improporionatæ, ad certum effectum obtinendum, adhibentur; 3^o *divinatione*, seu inquisitione occultorum ope dæmonis; 4^o *magia*, seu arte faciendi mira, quæ vires hominis superant, et proinde dæmonis ope, saltem implicita, efficiuntur. *Vid. Comp. n. 263 et seq.*

254. — *R. ad 2^m Quærs.* Damnanda LIVONIA, utpote apertæ superstitioni addicta : vis adeo mira, quam *orationi birgittanæ* tribuit, omnino falsa est. Orationes enim nostræ efficaciam infallibilem nunquam consequuntur. Solis Sacramentis indidit Christus virtutem *ex opere operato* operandi. Alias condiciones requirit Deus ut preces filiorum exaudiat, scilicet imprimis humilitatem, fiduciam, et in orando constantiam. Neque bona temporalia postulari debent, nisi in quantum ad utilitatem nostram spiritualem et Dei gloriam conferre possunt. *Per se* igitur peccat LIVONIA, his inhærendo superstitionibus, nisi aliqua fide bona excusetur. Cave tamen ne damnes piam fiduciam certis orationibus tributam, secluso infallibilitatis præjudicio, præsertim si de iis aliqua cœlestis promissio, ex fundata revelatione, accepta fuerit.

255. — *R. ad 3^m Quærs.* Nec a labe superstitionis excusandus est CRISPINUS in primo casu, si vim *infallibilem* orationi S. Christophori tribuat; et in secundo casu, certo peccat, cum remedia improporionata inter causam et speratum effectum adhibeat. Herbarum enim illarum non sunt

per se remedium efficax ad equum sanandum, siquidem ad signum crucis iteratum recurrendum est. Numquid thaumaturgus est ille? Nequaquam; sed impius rei sacræ, nempe augustissimi signi Crucis profanator.

CASUS V.

DE VANA OBSERVANTIA 2°.

1° GERAFINIA, cum nocte somniasset se in templo a rabido cane vulneratum iri, sequenti die Dominica ab audienda Missa abstinuit, ad vitandum damnum quod putat certo sibi eventurum esse. Alias, ut sciat quid futurum sit, pergit ad interrogandum vetulam quamdam, quæ ex sortibus seu chartis res futuras manifestare solet.

2° VIBIANA in pluribus ex populari credulitate agere solet, scilicet: 1° Certas preces fundit quotidie, ut Beata Virgo vel Angelus custos sibi appareat in morte, certo putans eos apparituros. 2° Die Palmarum, ramum palmæ ter circumfert in cubiculo, ut domus contra fulmen muniatur. 3° Conservat ova die Parasceves edita, ad incendium exstinguendum, vel ad febrim propulsandam. 4° Summo mane scopis tangit olera horti sui, ut segura ab erucis evadant; etc.

HINC:

QUÆR. 1° *An, vel quomodo GERAFINIA superstitionis rea sit in utroque casu?*

2° *Quid de multiplici praxi VIBIANÆ dicendum?*

SOLUTIO:

256. — *R. ad 1^m Quærs.* 1° GERAFINIA peccavit graviter in primo casu, saltem *per se*, et quidem duplici modo, scilicet, contra Religionem peccato superstitionis, somnio firmiter adhærendo ac certam fidem adhibendo, necnon contra obedientiam Ecclesiæ debitam a Sacro abstinendo. Forte *per accidens* GERAFINIA ita somnio perturbata est, ut a Missa audienda excusari possit, præsertim si sit gravida. Ei tamen non nimis indulgendum est.

2° Peccavit adhuc gravius vetulam interrogando, ut ab ea juvantibus chartis seu sortibus futura cognosceret. Quis enim sordidæ sagæ futura revelavit? An Deus, aut Angelus bonus? Blasphemum foret id asserere. Vel potius diabolus? Ergo cultus qui ei tribuitur, peccatum gravissimum est. *V. Comp. n. 264 et seq.*

257. — *R. ad 2^m Quærs.* VIBIANA excusari nequit a labe superstitionis neque a peccato mortali, saltem *per se*, si vere ex determinatis circumstantiis, et certo ejusmodi effectus expectet. Etenim effectum hunc expectare non potest a natura, cum media omnino insufficientia adhibeat; neque a Deo, qui non solet indesinenter miracula patrare, nec in similibus ad voluntatem mulierculæ se immiscere. Nec obstat quod preces, res sacras, aut circumstantias pias adhibeat, quia hæc effectum *infallibilem* operari nequeunt, et maxime ad commoda temporalia a Deo obtinenda. In quarto autem casu, a solo dæmone implicite invocato effectum potuit expectare. Dixi *per se*, quia VIBIANA, a peccato mortali immunis esse potest *per accidens*, ratione ignorantiae, stultitiæ, vel simplicitatis.

CASUS VI.

DE VANA OBSERVANTIA 3°.

AMELIA, ex longa feбри ad sanitatem restituta, audivit remedium efficax esse ad relapsum præcavendum, die Paschatis abstinere a carnibus et jejunare. Hoc consilium sequitur, et reapse in sanitate corporis perseverat. Rata autem illam abstinenciam singulariter placere Deo, statuit singulis diebus Dominicis toto anno jejunare; imo petit a Confessario suo licentiam id voto firmandi.

HINC:

QUÆR. 1° *An AMELIA, sequendo consilium illud, rea superstitionis evaserit?*

2° *An bene fecerit, die Dominica semper jejunando?*

3° *An votum illud permitti potuerit, et an validum fuerit?*

SOLUTIO:

258. — *R. ad 1^m Quærs. Affirmative.* Ratio est, quia iste cultus superfluus est, nec est *per se* medium *infallibile* relapsum in febrim præcavendi. Preces enim et mortificationes nostræ, ut efficaciam sortiantur, fieri debent juxta Dei beneplacitum, et bonum nostrum spirituale... Idcirco supplicationes sunt semper conditionatæ, præsertim si gratias temporaneas respiciant. Qui autem petit animo supersticioso, adhibet medium *per se* insufficientem ad finem *infallibiliter* obtinendum. Hinc s AMELIA in bona valetudine perseveraverit, non debet id tribuere efficaciam jejunii die Paschatis peracti contra praxim Ecclesiæ.

259. — *R. ad 2^m Quærs. Neg.* Etenim jejunium die Dominica servatum, non majorem habet virtutem quam si aliis diebus fieret. Imo, nedum Deo magis placeat, est ei minus gratum, cum hæc singularitas a consuetudine Ecclesiæ aliena sit. Hoc præsertim affirmandum est, si quis, omisso jejunio, decurrente hebdomada, die Dominica jejunare velit. *Reuter, part. 2, n. 427.*

260. — *R. ad 3^m Quærs.* Votum illud, etiam secluso animo supersticioso, est invalidum, saltem si vovens aliis diebus jejunium minime servet. Hoc enim cum sit contra praxim Ecclesiæ, *non est de bono meliori.* Ergo votum illud a Confessario permitti nequit. Attamen jejunans sola die Dominica, seclusa superstitione, sed ex singularitate devotionis, non peccaret graviter; sed a veniali non excusaretur, nisi forte ratione bonæ fidei. *Reuter, ibid.*

CASUS VII.

DE VANA OBSERVANTIA 4°.

ELIGIUS, ab amico ad convivium invitatus, sedulo inquisivit de numero convivarum, qui simul pransuri erant. Cum autem audivisset tredecim mense accubituros esse, infremuit, et se convivio adfuturum esse negavit, ratus numerum hunc infaustum prorsus esse. Nosti quare? Quia audivit,

quod si tredecim convivæ simul mensæ assideant, unus ex eis, decurrente eodem anno, mortem subiturus est. Hoc confirmat exemplo ultimæ cœnæ, cui interfuit Christus cum duodecim apostolis; Christus enim die sequenti a Judæis fuit interfectus.

HINC :

QUÆR. 1° *An ELIGIUS superstitionis argui debeat?*

2° *An peccati gravis reus evaserit?*

SOLUTIO :

261. — *R. ad 1^m Quærs. Affirmative* prorsus. Nulla enim est conexio inter numerum præfatum et mortis proximæ casum. Quare autem unus e convivis solus esset moriturus? Quare non duo vel tres? quare non omnes? Nec valet exemplum ex ultima cœna a Christo cum Apostolis peracta adductum, siquidem non solus Christus, sed etiam traditor Judas e vita excessit.

Refert *Tamburinus* lepidum exemplum credulitati vulgi prorsus oppositum, cujus ipse fuit testis. Sic ille: « Risi olim quoad hanc rem, et si-
« mul amicum sum illacrymatus. Tredecim Canonici ad convivium invi-
« tati, simul discubuerunt, ejusmodi superstitionem parvi facientes. Porro,
« die sequenti, quidam e collegio Canonicorum qui invitatus ad convivium
« non fuerat, obvius casu procedens uni e convivis, dixit fore ut ex ipsis
« tredecim unus eo anno moreretur; cui alter subridens respondit potius
« fore ut ipse non invitatus e vivis desineret, quam unus ex invitatis;
« adeo vanam eam observantiam se existimare. Hanc non insulsam res-
« ponsionem, mihi, idem qui respondit, cum risu narravit, et ego, fateor,
« illam cum plausu excepi; sed cum lacrymis non post multos dies ami-
« cum illum qui convivio non interfuerat, e vita ab inexpectata febre
« sublatus, sum prosecutus. » *Tamb. Decal. lib. 2, 6, n. 77.*

262. — *R. ad 2^m Quærs.* Distinguendum est. ELIGIUS arguendus quidem est de peccato mortali, si fidem plenam hujusmodi superstitioni adhibuerit; secus vero, si egerit non certa credulitate, sed levi quodam timore ductus.

Idem dicendum est de innumeris aliis superstitionibus, quæ, si absolute credantur, a peccato mortali excusari non possunt. Si vero fiant sub incertitudine eventus, ut ex vano quodam metu, non excedunt culpam venialem, quia non videtur magna deordinatio aliquid interdum operari ob spem vel timorem alicujus rei. *Tamb., ibid. n. 20, 27 et 76.*

CASUS VIII.

DE DIVINATIONE 1°.

PETRONIUS uxorem ducere statuit; dubius autem quamnam ex pluribus puellis sibi oblatis eligere debeat, ab amico consilium petit. Sic autem iste: « Perge, inquit, nocte proxima sancti Andreae inter undecimam et duodecimam horam ad flumen vicinum, et in aquis velut in speculo quodam imaginem futuræ sponsæ videbis. » Accepto consilio, præscripta nocte,

dum luna clarius nitebat, facemque quodam modo præbebat, PETRONIUS ad flumen impiger se contulit. Verum, dum super ripam stans superiori corporis parte se inclinavit, ut formam puellæ in aquis relucens perfectius contemplari posset, ripa inopinato sub pedibus dilabente, in flumen velut plumbum prolapsus fuit, et in maximo vitæ discrimine versatus est. Tandem emersus, licet ægre, frigore algens, et credulitatis pœnitens, ejusmodi artem ad sponsam futuram detegendam protinus abiecit.

HINC :

QUÆR. 1° *An PETRONIUS culpæ gravis ob hujusmodi factum arguendus sit?*

2° *Quid de illis qui in quibusdam speculis impressam imaginem futuræ uxoris, futurive mariti, aut etiam furis, inquirunt?*

SOLUTIO :

263. — *R. ad 1^m Quærs. Affirmative.* Medium enim istud a PETRONIO adhibitum a labe superstitionis nullatenus excusari potest, siquidem omni prorsus virtute naturali destituitur ad effectum intentum producendum. Etenim, ad quid illa circumstantia ut inspectio fieri debeat tali nocte, scilicet S. Andreae? Curnam inter undecimam et duodecimam horam? Insuper, quomodo aqua fluminis vim habere potest repræsentandi futuræ sponsæ effigiem? Sane impressio illa neque a Deo, neque ab Angelo bono, neque ab aliquo homine in illis circumstantiis prudenter expectari potuit. Ergo, si illud fiat, a solo dæmone, qui in similibus se immiscere solet, ut homines decipiat et secum in barathrum æternæ damnationis involvat, expectari debet. *Elbel, n. 505.*

264. — *R. ad 2^m Quærs.* Id quod diximus de illis qui imaginem sponsæ in aquis inquirunt, etiam applicandum est absolute aliis qui in quibusdam speculis prospiciunt, ut deprehendant qualis futurus sit maritus, vel sponsa, qualis fuerit auctor furti, homicidii, maleficii positi, etc. Etenim, cum nullum sit speculum habens ex sua natura vim repræsentandi res hujusmodi, hæc impressio, si fiat, a nullo alio, præterquam a diabolo, expectari potest. Igitur, quisquis tali medio utitur, evidenter convincitur se velle habere quoddam commercium cum ipso dæmone. Præterea colligendum etiam est ex hoc, scilicet, quod observari debeant plerumque nonnullæ aliæ circumstantiæ prorsus vanæ, v. g. ut inspectio fieri debeat a tali persona, tali et non alia hora, etc. Fatendum est tamen hæc et similia a simplicioribus fieri absque gravi peccato *formaliter* tali, ex eo quod in his malitiam superstitionis non deprehendant. *Elbel, n. 506.*

CASUS IX.

DE DIVINATIONE 2°.

LAZARUS audivit, quod si ex filo pendeat annulus, vel lapillus, hocque teneatur inter pollicem et indicem, ita ut annulus vel lapillus pendulus maneat intra latera poculi vitrei, hic spontaneo appulsu indicet horam. Magna curiositate impulsus LAZARUS, jam experimentum erat factururus,